quod fortasse nosti Pauij privigno pridem
nupsit. Habet haec filios duos, summâ quidem
curâ et diligentiâ educatos adolescentes, sed aliquoties
variatis paedagogis, quorum ultimus ad professionem publi
cam a Daventriensibus evocatus fertur, in cursu studiorum
quodammodo nunc interruptos, cum ex priori cujusdam
institutione major natu sic profecisset ut linguam
Graecam aequè ac vernaculam facilem et familiarem
habere diceretur. Utrumque Mater, opulenta mulier pere
grinationi Gallicae destinat, nescio an cum Italiae
quoque adeundi instituto; sane prudentiorum, fio, ut solet,
consilio regi patietur. Totius rei visum fuit te vir
amicissime certiorem facere, ut si utrimque [sic] expedire
sentias Fabritio aliorum se studijs impendere, his adoles
centibus a Fabritio regi, cujus ego poesin magis, quam
vitae consuetudinem, aut mores perspectam habeo, tu
ni fallor utraque τά τε ἔκτος κὴ τὰ ἔνδον nosti, oblatae
sortis conditionem Juveni offeras, et saltem ut huc
excurrat moneas, propius excussurus, quâ ratione
cum matre et filiis convenire possit, cui rei ipse, quantum
~~in me~~ erit in me, conferam, tam in ipsius gratiam
quam tui, de quo et in amicorum caussis bene mereri
semper mihi, et ubique curae erit. Vale Vir summe
et quod facis me ama. Hagae Com. XVI Cal: Junii
CIƆIƆCXXXIV.

(197).

Heinsio. Ego verò si in procinctu starem Vir Nobilissime, interea
meâ ducerem ab amplexu tuo dimitti, et a tam bonis
verbis, quae nunc coepisti eminus dictare rem auspi
1. cari longe molestissimam, et pacatis Musis meis
din invisam expeditionem. At enimvero, quidquid praeceps
ad vos rumor perferat, nondum nec hosti placuit,
nec amicis ut Hagâ moveremus. In integro est
omne votum, cujus te diu reum teneo moneoque et
precor pari affectu, liberes fidem aliquando, et, si per
ferias nondum opinor exspiratas liceat, amantissimis
tui conjugibus, quâ ~~lege~~ cautum lege est, semel te indul
geas. Ferculis nec poculis te invito, nosti me et
meam

meam; cænæ partem frons exporrecta faciet. Alterius defectu[m]
humanitate tuâ supplebis

Tunc mea, siquid loquar audiendum
Vocis accedet bona pars, et ô Sol
Pulcher, ô laudande canam, recepto
Hospite felix.

Dabitur denique opera ne te consilii poeniteat, priusqua[m]
ad te reversus et Leidamo inter grandes ~~amicos~~ animas
expendere cœperis, quam te sterili voluptate omnino
abjectissimo impenderis, qui bono publico deberis, vir
incomparabilis et omni quanta nos sequetur posterita[te]
Veni tamen et vale si venire vis, et si me valere, veni.
Hagæ Com: XX Iun: CIƆIƆCXXXIV

Smithio. Amplissime ac Doctissime Domine. (198)

Pro tot lapidum accuratissimis figuris, quibus inopiæ musæi
mei misertus, unâ simul operâ ditare me voluisti, pr[o]
dem me debere fateor, quas nunc gratias persolvo. perso[l-]
vo autem serius meo more. fortasse quidem, et si dis-
placet ne olim falsò prætexuisse credar occupationum
mearum assiduos ~~motus~~ tot silentio, absque illis essent, inter
amicos non ferendo: Sed citra jocum, serius, dum amici
qui has tradet profectionem expecto, antiquarii nimirum
pro suo captu, at qui ex affectu erga hæc studia, et mu-
nuscula tua verbis ornare posset, et quod calamo non
valeo, quanti apud me sint illa pressius indicavi, cum su[o]
precio, tum quod a te profecta. ~~indicavit~~. Abeuntem ita[que]
quam paucissimis verbis onero. cæteris quæ meo nomine
et rogatu adjiciet fidem ut præstes postulo qualem legato
habeas. Arcis Wissenicæ Indicem, quamquam non illi
usui quem olim conceperamus, avidè expecto, et si qu[id]
porrò hujusmodi rerum aliunde occurret, cujus me itan
unum arbitrum censebis. Nam ut possidere hæc talias
sortis meæ non est, ita imaginibus, quæ ab amicorum
humanitate ϐποςιςῶτεςαι sunt εκ μέσσ me, neque
tamen mediocriter oblecto: sicut ij quibus adire exter[as]
regiones non obtigit, adeunt eas sedendo tamen, et in
compendiis Universi, Mappis tabulisque peregrinantur.
Tuo qualicumque in studio juvare me ut pergas, iterum
te amice Smithi iterumque rogo. Hagæ Com: IIX Cal:
Iun: CIƆIƆCXXXIV Iun: